



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ad Leonem X. Pontificem Maximvm

[Straßburg], 1519

VD16 L 3409

Conclusio LX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34717

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN
CONCLUSIO LIX.

Thesauros ecclesie sanctus Laurentius dixit esse paupes ecclesie, sed locutus est usu uocabuli suo tempore,

PATET satis ijs, qui legendam sancti Laurentij uiderunt, de inde non est nunc usus uocabuli, ut thesauros Ecclesie uocet homines pauperes, sed patrimonium Christi & S. Petri appellamus, quod palea quadam, sine tamen grano Constantini, dedit ecclesie. Ideo dicit Psal. ij. ubi deus dicit Christo, Postula a me & dabo tibi gentes in hereditatem, & possessionem tuam terminos terrae, intelligi oportet oppida & agros ab oriente in occidentem. Alioquin nostro tempore si quis loquatur aliter de rebus ecclesie & spiritualibus, erit barbarus nobis, licet & beatus Laurentius facultates ecclesie dixerit diuitias, sed non solas.

CONCLUSIO LX.

Sine temeritate dicimus, Claves ecclesie (merito Christi donatas) esse thesaurum istum.

SI istud meritum uocaretur, & thesaurus indulgentiarum, scilicet potestas clauium, plana est intelligentia. Nullus enim dubitat quin merito Christi donatum sit ecclesie, quicquid donatum est.

CONCLUSIO LXI.

Clarum est enim, quod ad remissionem poenarum & casuum, sola sufficit potestas Papae

PROBATVR ex ipso stilo Papae, dum nuncq; meminit meritorum Christi in ligando aut soluendo, sed tantummodo dicit de plenitudine potestatis, ex certa scientia & motu proprio.

Secundo, ex communi omnium sententia probantium, indulgentias uirtute illius uerbi donari, ubi Christus dicit, Quodcumq; solueris &c. Quod uerbum putant sine uigore esse, nisi potestate donandi permitteret. Quare & ipsi solam potestate intelligunt sufficere, nulla autem auctoritate probant thesaurum, sed hanc auctoritatem uelut sufficientem adducunt, quae tamen sonat nondam potestatem, non autem applicationem meritorum.

Tertio, Alioquin etiam in alijs ligationibus & solutionibus intelligenda esset distributio meritorum, puta, quando sacerdotali offi